DE ELOCUTIONE M. FABII QUINTILIANI

QUÆSTIONES

QUAS

VENIA MAX. VEN. CONSIST. CALMARIENSIS

SPECIMINIS LOCO

P. P.

Mag. RAGNAR TÖRNEBLADH
AD REG. ACAD. UPS. POËSIS LAT. DOCENS

IN AUDITORIO SCHOLAE CALM.

DIE XVI OCTOB. MDCCCLVIII.

H. A. M. S.

UPSALIÆ
TYPIS DESCRIPSERUNT WAHLSTROEM ET SOCII
MDCCCLVIII.

Konstantin Jireček

Quo tempore Græci literarum doctrinæque laude quam maxime florebant, eo Romani belli magis quam pacis artibus dediti sermone utebantur duro atque horrido. Tum demum, quum subacta Italia Romani ex angusto illo gyro, in quo antea versati erant, in latiorem quasi campum evecti frequentiora cum exteris populis præcipueque Græcis commercia instituissent, iis artibus, quibus ad humanitatem populi informantur, Romæ aditus est patefactus, perfectoque secundo Punico bello majore in dies studio ad literas Græcorum cognoscendas homines incitabantur[1]). Quæ res quantum ad sermonem habuerit momenti, facile intelligi potest. Jam enim, quum nonnullorum studia in eo versarentur, ut, quæ a Græcis præclare scripta essent, ea Latinis literis effingerent, fieri non potuit, quin et augeretur sermonis copia et legibus quibusdam oratio astringeretur. Accessit, quod ab iisdem temporibus dicendi ars maxima incrementa cepit, quippe quæ a præstantissimis in republica viris coleretur magnaque in laude esse inciperet. Septimo igitur ab urbe condita sæculo in sermone perpoliendo plurima collocabatur opera, quæ eo majores fructus peperit, quod ab amplissimis viris summaque auctoritate præditis profecta est. Nam Scipionem quidem constat minorem eosque, qui ejus familiaritate utebantur, non modo emendate locutos, quum domestico quodam usu essent imbuti[2]), sed etiam ad sermonis

1) Porcius Licinus ap. Gell. 17, 21:
Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.

2) Cfr. Cic. Br. c. 58.

integritatem tuendam plurimum studii adhibuisse. Neque vero non plurimi eorum, qui illo tempore in carminibus scribendis versabantur, id potissimum sequebantur, ut sermone uterentur recto et emendato, quippe quum viderent rudes illas superiorum temporum literas ab intelligentium judicio plane abhorrere[1]). Itaque tum politior quædam loquendi consuetudo nata est, quæ nonnihil a vulgi sermone discrepabat quæque urbano quodam colore erat tincta. Quam consuetudinem sequebantur ii, qui postea dicendi laude florebant, donec per Ciceronem, qui quum ad varia dicendi genera se contulisset, singularum optimam formam expressit, sermo omni orationis instrumento est ornatus et ad certas leges revocatus. Accedit, quod in verborum compositione nemo plus Cicerone studii collocavit, qui orationem ita conformavit, ut verba apte et numerose struendi etiam hoc tempore magister habeatur. Neque tamen Cæsaris laudes sunt prætereundæ, qui quam fuerit emendati sermonis studiosus, ex eo perspici potest, quod librum de ratione Latine loquendi conscripsit. In quo quum plurimum delectui verborum tribuit, optime videtur perspexisse, quid vellet illa ætas, quippe quæ quicquid vel peregrinum quiddam sonaret vel usu eruditorum non satis comprobatum videretur diligentissime effugeret[2]). Quæ quum ita fuerint, jure dici potest illam ætatem singulari loquendi elegantia præstitisse; qua tamen laude non ita diu excellebant Romani.

Commutata enim reipublicæ ratione studia literarum artiumque paullatim commutabantur. Quanquam regnante Augusto literæ summopere florebant, quum et quieto civitatis statu et studio imperatoris mirum quantum adjuvarentur. Et quum illo tempore maxime poësis studia vigerent, ii exstiterunt, qui ad sermonem poëticum excolendum atque conformandum non minus valerent quam in soluto Cicero et Cæsar valuerant. Hic autem sermo nescio an tum in pejus mutari coeptus sit. Ac potest hoc cerni in T. Livio, qui a superioris ætatis voluntate descivit quoddammodo, si qui-

1) Cfr. Mommsen, Röm. Gesch. 2:e Aufl. II p. 430, 431.
2) Cfr. Cic. Br. c. 74, 75; Mommsen l. l. III p. 559.

dem neque in deligendis verbis tam elegans judicium adhibebat et in conjungendis nonnulla novare non verebatur. Quare jure dixeris in elocutione ejus quasi transitum quendam ad insequentem ætatem conspici. Quæ quibus causis in literis sermoneque a superiore diversa exstiterit, paucis exponendum videtur.

Ac primum quidem considerandum est, quantam commutata reipublicæ condicio ad animos hominum habuerit vim. Nam quum florente libera republica ea fuissent hominum studia ac voluntates, ut singulis patria ejusque res quam maximæ curæ essent, quum præsertim quisquis civis Romanus esset rebus administrandis interesse quodammodo sibi videretur, jam postquam ad unius arbitrium omnia geri sunt coepta, paullatim factum est, ut vincula ea, quibus singuli cum civitate erant conjuncti, laxarentur hominesque a rerum publicarum studio ad se suasque res avocarentur. Atque ea erat rerum condicio, ut quum optimo cuique dolorem quendam ac moestitiam pareret, eum in se ipsum redire cogeret et cum suo animo de rerum statu, qualis et esset et esse deberet, cogitare[1]). Inde factum, ut illius ætatis scriptores eam in eloquendo rationem sequerentur, qua non tam res ipsas, quales sensibus objectæ essent, quam species earum cogitatione informatas designarent[2]). Quæ ratio — *Subjectivismus* appellatur — ut a veterum Romanorum ingenio abhorrebat, ita ad illius ætatis judicia plane erat accomodata, si quidem tum Romani a propria sua sentiendi consuetudine ita recesserant, ut hujus recentioris ætatis non omnino dissimiles fuisse videantur.

Jam vero ad mores ex unius dominatione plurimum mali redundabat. Quum enim commune illud rerum patriæ studium exstinctum esset, neque satis esset tutum in luce rerum publicarum versari, facile homines ad victus curam declinabant, ita ut ad voluptatum suavitatem confugerent

1) Cfr. B. C. H. Höjer, compar. æsthet. inter auctores aureæ et arg. ætatis Latin. opera coll. V. p. 289 sqq.

2) Cfr. Rosengren, de arg. litt. lat. aphorismi Ups. 1852. Jungclaussen, Quæstio syntactica de Tacitei sermonis proprietate in usurp. verbis etc. Kiel 1848 p. 41, sq.

deliciasque præsentis temporis nulla futuri cura solliciti sectarentur. Morum autem mollitia quum necessario fiat, ut sermo corrumpatur[1]), non est mirandum, quod illa ætas prorsus repudiato veterum dicendi genere, gravi illo et quasi sancto, in oratione, ut in vita, mollitiam quandam ac lasciviam secuta est. Ea enim erant judicia hominum, ut nihil probarent nisi quod novitate quadam animos delicatos moveret. Quo fiebat, ut in scribendo rerum veritati nihil fere, plurimum delectationi tribueretur, et hæc quidem omnibus artificiis captaretur. Inde sententiarum illecebræ natæ, inde translationum audacia, inde fractæ compositionis vitium, inde denique poëtarum in soluta oratione imitatio. Jam enim singula dicendi genera ita confundi sunt coepta, ut proprietas orationis omnino non magnæ esset curæ, id quod maxime apparet ex ea ratione, quæ inter prosam orationem et poësim intercedebat. Tam enim audacter in fines poëtici sermonis irruebatur, ut nullus non illius ætatis scriptor poëtis aliqua accepta referat[2]). Quanquam hujus rei causa nescio an etiam ex eo possit repeti, quod, quum in scholis pueri poëtis explicandis occuparentur, eorum sermone ab initio ætatis homines quodammodo assueverunt[3]). Accedebat, quod, quum per impotentiam imperatorum dicendi libertas in periculo esset, non solum multi, qui ingenio valerent, a scribendo deterrebantur, sed etiam, si qui scriptorum laude nobilitari cupiebant, ii vel ad assentandi foeditatem prolapsi insulsi ac tumidi exsistebant vel dicendi quandam ambiguitatem sectabantur, qua plus intelligeretur quam audiretur.

Atque hæc, quæ a veterum sensu judicioque facta est, declinatio nescio an maxime in eloquentia expressa cernatur. Quæ non solum eo, quod illa ætas veterum dicendi consuetudinem aspernabatur, sed etiam quod in se ipsa minus quam antea habebat, quo animos hominum delectaret atque alliceret, novam rationem amplexari cogebatur. In angustiores

1) Cfr. Sen. Ep. 114.

2) Cfr. Dial. d. Orat. c. 20. Quint. Inst. O. 8, Pr, 25.

3) Cfr. Quint. Inst. Or. 1, 8, 5 sqq. Bernhardy, Grundr. der Röm. Litteratur 3:e Aufl. p. 280.

enim fines quum compulsa esset tenuioribusque in rebus occuparetur, ut studia hominum excitaret, ad elocutionis lenocinia confugiebat[1]) quod genus eo magis vigebat, quia, quum per iniquitatem temporum a luce fori in rhetorum umbracula dicendi studia maximam partem traducta essent, ad artis normam omnia revocabantur, nihil admodum naturæ tribuebatur. Atque hac declamatoria ratione factum, ut longius in dies a pristina dicendi consuetudine recederetur, quum insano ad orationem sententiis illuminandam omnes studio ferrentur. Neque vero non magna oratorii instrumenti vis in sermonem infusa est, quam ne poëtæ quidem in suam rem convertere dubitabant. Neque salubrem vim recitationes illæ in eloquentiam habebant, quippe quibus nimium illud ad delectandum omnia componendi studium maxime aleretur ac sustentaretur[2]). Postremo quum sermo Romanorum latius in dies per provincias diffunderetur, fieri non potuit, quin aliquid ex integritate perderet[3]). Atque hæc res etiam ad urbanam loquendi consuetudinem corrumpendam valuit, quod et ex omnibus fere terris homines barbare loquentes Romam confluebant et ipsi Romani frequenter in provinciis peregrinabantur[4]).

His omnibus causis factum est, ut Romani ea ætate, quæ primorum Cæsarum regna complectitur, dicendi formam sequerentur a veterum elocutione longe diversam, quippe quum non tantum elegantiæ orationis consuleretur quantum concinnitati. Quo tamen studio non omnes pariter abrepti ferebantur; contra ea nonnulli fuerunt, qui quum delicias sui sæculi non satis probarent, pristinam dicendi consuetudinem, quantum quidem illis temporibus fieri posset, tuerentur atque conservarent. Quorum nescio an dignissimus, qui commemoretur, sit M. Fabius Quintilianus. Qui in Hispania, ut videtur[5]), natus Romæ pueritiam egit ibique dicendi stu-

1) Cfr. Bonnell. de mutata sub primis Cæsaribus eloquentiæ Romanæ. condicione Berl. 1836 p, 8.
2) Cfr. Persium Sat I., Funccium de imm L. L. Sen. cap. I § 13.
3) Cfr. Heffter., Gesch. der Lat. Sp. Brand 1852 p. 166.
4) Cfr. Morhof., de Patav. Liv. c. 9; Funccium l. l. c. I § 18.
5) Cfr. Dodwell. Ann. Quint. § 4, 5, 6.

diis operam dedit, quum maxime Domitium Afrum et Servilium Nonianum audiret[1]). Inde in patriam reversus aliquot ibi annos commoratus est, donec a Galba Romam est perductus, ubi quum in foro ita versatus esset, ut magna laude floreret, honestissimum putans desinere, dum desideraretur[2]), ad præcipiendi munus se contulit. Quod postquam per viginti annos, quum publico stipendio uteretur, exercuit, id aggressus est, ut, quæ de arte dicendi et ratione et usu cognita habebat, ea literis persequendo eloquentiæ studiosis traderet. Duobus igitur annis perfecit opus de Institutione Oratoria, quod unum ex iis, quæ scripsit, ad hanc ætatem pervenit. Nam Dialogum illum, qui de Oratoribus dicitur, a Quintiliano minime esse compositum jam pro certo comprobatum videtur[3]). Quod idem in Declamationibus dicere licet. Nam CXLV illos ex CCCLXXXVIII excerptas constat quum a dicendi ratione Quintiliani omnino abhorrere, tum inter se tam dissimiles esse, vix ut unius ætatis esse videantur[4]). Magis autem dubitatum est de XIX illis, quæ tamen ejusmodi sunt, ut a Quintiliani judicio alienæ videantur, qui tales, quales in his sunt, materias, ab omni illas quidem veritate remotas, minime probavit[5]).

Tantum enim abest, ut suæ ille ætatis in eloquentia rationem animo ac studio sit amplexus, ut eam plane improbandam et senserit et professus sit. Nam quum tam præclaram mente concepisset eloquentiæ notionem, ut eam intelligeret pulcherrimam rerum, quæ et omnes artes et bonos mores complecteretur summæque in rebus publicis esset auctoritatis[6]), fieri non potuit, quin a forma illa ejus artis, quæ ipsius ætate erat, toto animo abhorreret. Videbat enim artem dicendi ad declamatoriam quandam jactationem

1) Dodwell. l. l.

2) Cfr. I. Or. 2, 12, 12; 12, 11, 2.

3) Cfr. Spald. ad procem. lib. 6.

4) Cfr. Burm. in præf. Quint., Spald. in præf. p. XL, Funcc. d. imm. L. L. Sen. C. VI § 17, Bonn. de mutata etc. p. 25.

5) Cfr. I. O. 2, 10.

6) Cfr. I. O., Pr. 9—11; 12, 1 in, 25—27.

prolapsam in umbra scholarum inani quodam sententiarum lusu delectari. Itaque tædio præsentium rerum captus studio ac voluntate ad ea tempora ferebatur, quibus virili quodam robore eloquentia viguisset. Quo factum, ut quum omnino antiquorum dicendi genus tum maxime Ciceronis, quod illius ætatis hominibus non placebat, summopere admiraretur atque laudaret[1]). Neque tamen tam stultus erat antiquorum amator, ut quæcunque prisca essent atque horrida sectaretur. Quum enim judicio prudenti ac sano præditus quicquid nimium esset summopere effugiendum censeret[2]), ut a corrupto sententiarum flosculis dicendi genere abhorrebat, ita minime veterum illum horrorem suæ ætati politiori convenire judicabat[3]). Neque is erat, qui oratorem certa quadam forma eloquentiæ astringeret, quum contra eam quasi legem dicendi studiosis proponeret, ut semper ita dicerent, ut postularet res[4]). Quæ quum in arte dicendi tenenda docuisset, in scribendo minime a suis ipse præceptis recessit. Omisso enim studio illo ad voluptatem omnia componendi purum quoddam atque candidum dicendi genus secutus est. Nimirum, quum ita sentiret, nulla omnino virtute orationem magis commendari quam perspicuitate[5]), nihil antiquius habebat quam ut sermone puro et dilucido uteretur, quem præsertim ad docendum videret aptissimum. Neque vero non quicquid docebat aptis exemplis illustrare et confirmare quam maxime studebat, quo præcepta quum varietatis quiddam haberent tum legentibus faciliora ad percipiendum essent. Quod quum fuerit maxime secutus, ut ab omnibus intelligeretur, factum est, ut oratio ejus ea elegantiæ laude præstet, qua ad antiquorum rationem proxime accedere videatur. Quod si tamen cum Cicerone erit comparatus[6]), patebit inter eos plurimum interesse. Varietatem

1) Cfr. 1, 8, 9; 8, 1, 24—27.
2) Cfr. 8, 3, 42; 11, 1, 91; 12, 10, 80.
3) Cfr. 8, 5, 33 sqq; 12, 10, 45.
4) Cfr. 11, 1; 12, 10, 69 sqq.
5) Cfr. 1, 6, 41; 2, 3, 8.
6) Vide A. Campani Comp. Cic. et Quint. præm. Lib. X a Frotchero edito, Funcc. l. l. c. VI, § 20.

enim illam atque copiam Ciceronis frustra apud illum quæras, quum aliud quoddam sui operis institutum habuerit. Id enim Quintilianus habebat propositum, ut omnia quæcunque ad dicendi artem necessaria essent scribendo persequeretur[1]). Itaque facere non potuit, quin sæpe ad eas res descenderet, quarum tenuitati nisi siccum ac subtile dicendi genus non conveniret. Quo factum, ut quibusdam locis, quum nuda præcepta tradat, non satis plenus atque copiosus videatur. Quod ita futurum quum ipse sentiret, ubicunque id satis apte ac decore fieri poterat, dedit operam, ut nitore quodam admisto rebus parum jucundis lætiorem quasi speciem conciliaret. In quo aliquid videtur suo tempori dedisse, si quidem optime intelligebat non tam inepte veteres imitandos, ut non ita elocutio ad præsentis ætatis rationem accomodari posset, si illa boni aliquid haberet. Atque quum orationis cultum non aspernaretur nisi nimium, translationibus et similitudinibus frequenter usus est. Videbat enim eas non modo ad orationem varietate quadam distinguendam sed etiam, si modo essent perspicuæ atque apertæ, ad res illustrandas maxime pertinere[2])). Quare id secutus est, ne, quæ ejus generis adhiberet, arcessita essent et obscura, sed in notis clarisque rebus versarentur. Ac sunt eæ, quas habet, similitudines et translationes petitæ maxime e re bellica, athletica, gladiatoria[3]), ex omni genere artium[4]), ex navigatione[5]), ex rerum natura[6]). Atque in hoc genere quoddammodo nimius est, si quidem non raro vel in unum locum plures similitudines congessit[7]) vel eandem similitudinem justo longius persecutus est[8]). Accedit altera res, in qua

1) Cfr. 3, 1, 1—4; 11, 21.

2) Cfr. 8, 3, 72 sqq; 6, 4.

3) Cfr. 2, 12, 2; 5, 10, 109; 12, 22; 8, 3, 10; 9, 1, 20; 10, 1, 4, 29, 30, 33; 5, 15 et 17; 12, 3, 5; 9, 2 et 3; 10, 41.

4) Cfr. 2, 1, 12; 4, 7; 8, 15; 13, 8; 3, 2, 3; 5, 12, 21; 7 Pr. 2; 8, 5, 26; 10, 2. 2.

5) Cfr. 4, 1, 61; 10, 7, 1, 23; 12 Pr. 2—4; 7, 4; 10, 37, 38; 11, 5.

6) Cfr. 5, 12, 8; 14; 31; 9, 4, 7; 12, 2, 11; 10, 25, 60, 61; omnes fere ex amnium natura ductæ.

7) Cfr. 2. 3, 8, 9; 13, 16; 7 Pr. 2; 8, 3, 10; 10, 3, 6; 5, 16.

8) Cfr. Spald. ad 2, 4, 7 et 12 Pr. 4.

Quintilianus plus suæ ætati quam antiquis tribuisse videatur. Quum enim veteres eam quasi legem secuti essent, a qua raro discederent, ne vocabulis ejusmodi, quæ res inanimas significarent, ea verba adjungerent, quorum notio ad animi vim pertineret, Quintilianus tantum abfuit ut hanc eorum consuetudinem sequeretur, ut sæpissime in rebus mutis verba humanæ naturæ propria adhiberet [1]). Quo ad nostræ ætatis scriptores propius accedit, apud quos ejusmodi immutationes frequentes sunt.

Atque quum omnino mediam quandam viam inter suæ ætatis rationem et antiquorum Quintilianus tenuisse videatur, sunt tamen nonnulla, in quibus justo magis sui sæculi consuetudini indulsisse videatur. Quod in primis cernitur in nimio illo brevitatis studio, quo non raro abreptus legentibus plus ad intelligendum reliquit quam oratione expressit. Ac nonnulla tamen hujus generis nescio an ad consuetudinem artes tradentium revocari possint, qui quam brevissime præcepta comprehendentes frequenter ea omittunt, quæ quum non sint enunciata, facile intelligi posse credant [2]). Tales fere sunt *ellipses*, quibus sæpissime usus est. Omisit enim frequentissime verbum substantivum, et maxime quidem in præsenti tempore, non modo in primariis sed etiam in secundariis enunciatis [3]). Tum omissa sunt v. *dicendi* [4]) aliaque vocabula, quæ fere ita desunt, ut aut ex ipsa sententiæ ratione intelligi possint [5]) aut ex proximis sint repetenda [6]). Hujus etiam generis est, quod sæpe subjectum enunciati desideratur. Ac frequenter quidem persona aliqua

---

1) Cujus generis ut nonnulla ex multis afferam exempla, conferas velim 1, 10, 49 *(liber demonstrabit)*; 2, 13, 6; 15, 35; 3, 6, 39; 5, 13, 5; 7, 10, 3; 8, 3, 17; 5, 14; 9, 2, 45; 10, 1, 48; 4, 4; 11, 1, 52 etc. Cfr. 1, 2, 26.

2) Cfr. Seyff. Pal. Cic. 3:e Aufl. p. 18.

3) Utriusque rei exempla suppeditat Bonnellus in lexico sub. v. *Sum.* Cfr. etiam 2, 2, 5; 13, 1 ubi in præcipiendo paullo contractius loquitur.

4) Cfr. 1, 5, 38; 2, 21, 15, 16; 3, 6, 35; 5, 4, 1; 10, 76; 6, 3, 96; 9, 4, 19, 122; 10, 2, 24; 12, 10, 38.

5) Cfr. 3, 6, 60, 98; 5, 10, 55; 6, 1, 4; 9, 3, 19; 10, 1, 107; 3, 25; 7, 23; 11, 1, 76; 3, 178; 12, 11, 17.

6) Cfr. 1, 1, 16; 10, 1, 38; 12, 10, 14; 11, 9, 27.

generalis intelligitur, ut in conjunctivo tertia persona post Infinitivum posito[1]), deestque pron. *quidam* in thematis controversiarum[2]).

Tum etiam ex universo sententiarum connexu supplendum est subjectum[3]) aut ex iis, quæ proxime prægressa sunt, repetendum[4]). Reperiuntur etiam ii loci, ubi vocabula quædam sint posita, quæ, quo ex grammatica ratione referantur, non habeant, verum ad aliquid sint accomodata, quod mente ex sententiarum nexu sit supplendum[5]). Neque ab hoc genere fere discrepat Synesis, frequens illa apud Quintilianum, qua prædicatum non ad id vocabulum est relatum, quo secundum leges grammaticas referri debebat, sed ad aliud quoddam, quod menti scriptoris est observatum[6]).

Jam in sententiis breviter comprehendendis mirifice delectatus est Quintilianus. Atque hic vix opus est dicere apud eum et comparationem illam compendiariam insolentius usurpatam[7]) et Zeugma aliaque, quæ ad hanc figuram proxime accedant, inveniri[8]). Illud annotatione dignius, quod sæpe sententias ita contraxit, ut mente in duo quasi membra dissolvendæ videantur. Sic 3, 2, 3 *quapropter ea quoque quarta pars erit* pro *quapropter ea quoque pars erit et quidem quarta*[9]). Atque duas enunciationes sæpe inter se ita conjunxit, ut melius brevitati quam grammaticæ rationi

---

1) Exempla attulit Bonn. in Lexico s. v. *aliquis*, quorum tamen in nonnullis *orator* vel *is qui dicit* intelligi potest ut 2, 15, 12; 7, 1, 40, 12, 7, 7 cfr. Bonn. Prol. ad Lexic. p. XXXVIII. In tertia pluralis persona subj. omissum est 4, 3, 3; 10, 1, 7; 5, 21.

2) Cfr. Bonn. s. v. *quidam*.

3) Cfr. 1, 5, 1; 11, 14; 2, 5, 8; 4, 1, 22; 5, 10, 29; 14, 32; 11, 3, 96; 12, 10, 62.

4) Cfr. quæ att. Bonn. in proleg. p. XXXIX, quibus adde 5, 7, 30; 9, 4, 26; 10, 6, 4, 5; 7, 19; 11, 1, 61, 77.

5) Cfr. 3, 6, 88; 8, 53; 10, 4; 5 Pr., 4; 10, 105; 7, 1, 49.

6) Cfr. Spald. ad 9, 2, 79; 3, 2—3, Bonn. in Prol. p. LXXIV; Lib. X Einl. p. 13, prætera 3, 11, 5; 10, 7, 26; 11, 3, 60.

7) Cfr. 5, 10, 114; 10, 5, 2; 11, 3, 53; 12, 7, 3.

8) Cfr. 6, 2, 25; 10, 1, 123; 7, 9 et 11; 12, 11, 4.

9) Cfr. Gernh. ad h. l. et 1, 4, 11; 7, 25; 3, 1, 5; 5, 10, 65; 6, 3, 13 prætereaque eos locos, ubi adverbium enunciationis loco est: 1, 10, 8; 2, 1, 9; 4, 2, 87; 10, 3, 31, 33 ibique Herbst.

consultum sit, ut quum pronomen relativum neutro genere semel positum ad duo verba, quorum alterum subjecto, alterum objecto conjungendum fuerit, est relatum[1]). Et subjecti in eadem sententia mutatio admodum crebra est apud Quintilianum[2]). Neque illud est prætereundum, quod non satis apte semper enunciationes inter se nexæ sunt, sive quod transitus, quum desit aliquod vinculum, abruptior est[3]), sive quod sequentia parum sunt ad priora accomodata[4]). Denique videtur hoc loco commemoranda illa Quintiliani consuetudo, quod similitudines sæpe ipsi orationi implicavit et ex insperato rebus, quibus illustrandis inservirent, annexuit[5]).

Atque omnino in ratione sententias concludendi atque inter se vinciendi Quintilianus a Ciceronis laude longe abest, si quidem orationem fractam et in brevia membra dissolutam minime aspernatus est. Non sunt igitur apud illum longiores illæ et quasi rotundæ verborum comprehensiones neque per particulas sententiarum inter se transitus ita sunt muniti, ut leni quasi et æquabili tractu oratio fluere videatur. Atque singulæ verborum comprehensiones quales sint, si quærimus, apparet, non id egisse scriptorem, ut enunciationes arctissimis vinculis inter se implicatæ continerentur, sed sæpe alteram alteri additam tantummodo vel adjunctam. Quod cernitur in enunciationibus causalibus, relativis, aliis in finem sententiæ rejectis[6]), qua re factum, ut langueant illæ quoddammodo nec satis apte cadat verborum comprehensio. Atque etiam frequentius est hoc in participiis et adjectivis, quæ

1) Cfr. 2, 1, 13; 12, 12; 6 Pr., 6; 3, 109; 8, 6, 21; 9, 2, 65; 11, 1, 36; in aliis casibus 10, 3, 11. Cfr. etiam 1, 12, 5; 2, 7, 1 ubi relativæ enunciationi per copulativam conjunctionem altera annexa est, quæ ex ea apta esse debuerit.

2) Cfr. 1, 2, 31; 5, 10, 30; 11, 3; 10, 2, 26; 5, 19; 11, 3, 24; 12, 9, 8.

3) Cfr. 5, 14, 31; 10, 6, 6; 11, 1, 73; 12, 2, 2, 28; 10, 47.

4) Cfr. 8, 3, 46; 10, 1, 62; 5, 1; 11, 3, 45; 12, 3, 11; 10, 33 et Gernh. ad 9, 3, 77.

5) Cfr. Spald. ad 10, 7, 1, qui exempla attulit 10, 1, 4, 33; 3, 7 et 10; 4, 4; 12 Pr., 23; 7, 4.

6) Cfr. ex multis locis 1, 2, 11; 3, 10; 7, 10; 9, 2; 2, 10, 6; 21, 12; 4, 5, 25; 6, 1, 44; 7, 10, 9; 9, 2, 46; vide præterea Bonn. Lib. X. Einl. p. 13.

ut omnino per brevitatis studium plenæ enunciationis loco sæpe usurpata sunt, ita frequenter in fine sententiæ collocata[1]). Quæ quum ita sint, est tamen, in quo Quintilianus concinnam quandam verborum constructionem secutus videatur, si quidem figuris illis verborum, quæ Anaphora[2]) et Chiasmus vocantur, magnopere est delectatus. Quibus ita usus est, ut modo illam[3]) modo hanc[4]) modo simul utramque[5]) habeat. Tum verborum in singulis enunciationibus collocatio sæpe paullo liberior videtur et ad poëtarum consentudinem accomodata. Videmus enim et sæpe ea disjuncta, quæ ex grammatica ratione conjungenda fuerint[6]) et pristinum quorundam verborum ordinem perturbatum. Atque hoc videre licet in nominibus propriis, in quibus gentile nomen posteriorem locum obtinet[7]), et in particulis, quæ a solita sede in aliam sæpe translatæ inveniuntur[8]).

Postremo illud animadvertatur, quod in vocabulis vel ejusdem originis[9]) vel iisdem[10]) repetendis paullo fuisse negligentior Quintilianus videtur. Quorum hoc usurpavit etiam in sententiis connectendis, ita ut ab iisdem verbis sæpe duæ

---

1) Cfr. 1, 3, 12; 2, 3, 1; 3, 1, 2; 4, 1, 64; 5, 10, 31; 7, 3, 14; 8, Pr., 4; 9, 2, 14; 10, 1, 95, 100 et quæ alia att. Bonn. l. X. p. 13; 11, 1, 10; 12, 7, 1.

2) Docendum est, hic non eam anaphoram nos dicere, quæ repetito initio enunciationum verbo quodam fit, sed quæ eundem verborum ordinem in diversis enunciatis habet Cfr Nägelsbach. Lat. Stilistik § 168.

3) Cujus generis sunt 1, 10, 24; 3, 7, 18; 4, 2, 44; 9, 4, 116; 10, 7, 29; 11, 1, 17; 12, 2, 19, 25.

4) Cfr. Pr. 4; 1, 2, 25; 3, 6, 40; 4, 2, 39; 6, 1, 21; 8, 3, 18; 10, 1, 97; 3, 1 et 2; 11, 2, 6; 12, 1, 20.

5) Cfr. 1, 3, 7; 2, 4, 22; 9, 4, 4; 10, 1, 36, 83, 106; 11, 1, 93; 12, 3, 5; 10, 76.

6) Cfr. 1, 2, 10; 6 Pr. 4; 9, 3, 42; 12, 10, 11; et quos att. locos Bonn. in Lib. X. Einl. p. 13, quibus adde ex eodem libro 1, 3, 33, 104, 116; 3, 31; 5, 7, 15; 7, 3.

7) Cfr. Bonn. in Prol. p. LXXIX.

8) Sic *namque*, *ideoque*, *itaque* frequenter secundam sedem obtinent. Contra *igitur* sæpe primo loco positum est, id quod a Sallustio frequentissime usurpatum est, a Cicerone vix nisi in complexione, quæ dicitur, factum. *Nec non*, *non nisi* conjuncta sæpe reperias.

9) Cfr. Bonn. l. l. p. LXXXI sq., qui de hac tota re præclare disputavit; exempla sunt 6, 4, 5; 9, 4, 16; 10, 2, 10; 11, 2, 21 etc.

10) Locis a Bonn. allotis adde 5, 13, 38; 9, 2, 31; 3, 78; 11, 1, 7.

vel tres deinceps sententiæ incipiant[1]. Atque etiam idem vocabulum diversa significatione brevi intervallo positum reperitur.

Jam si, qualem in verbis deligendis se præstiterit Quintilianus, quæritur, cernere licet in eo expressam quodammodo illius ætatis rationem. Illorum enim temporum homines minime ea verborum copia, quam hereditatis quasi loco ab antiquis acceperant, contenti in novis verbis fingendis summo cum studio versabantur. Neque in hac re omnino sunt reprehendendi, si quidem fieri non potest, quin ad eam, quæ quaque ætate viget, sentiendi consuetudinem verborum ratio accommodetur. Neque potest negari argentea ætate sermonem plurimis vocabulis esse auctum, quæ miram quandam vim atque significantiam haberent. Ac maxima quidem accessio facta est quum omnino in Nominibus tum præcipue in Substantivis abstractis, quorum superiore ætate exiguus numerus fuerat. Accedunt artis vocabula, quorum innumerabilem copiam illa ætas effudit. Neque illud præterire oportet, quod in solutam orationem illa ætate multa vocabula a poëtis ficta sunt recepta.

Quum igitur ætate Quintilini mirum in modum sermo novis vocabulis locupletatus esset, minime ille ea aspernatus est. Itaque multas habet voces, quæ ante ætatem Augusti non sint usurpatæ. Quas quum omnes enumerare longum sit, genera earum breviter exponamus.

Ac primum quidem aliqua vocabula habet cum solutæ orationis scriptoribus illius ætatis illa quidem communia, quæ vel aliam terminationem[3]) habeant atque apud antiquos vel insolita forma usurpata sint, ut *alveare* pro *alveario*, *audentia* pro *audacia*, *auspicatus* Sup., *consortium* pro *consortione*, *contradico*, *cervix* Sing. *effectus* Comp.[4]), *emendatus* Superl., *Fabius* pro *Fabiano*, *fabrico* Act., *herous* pro *heroico*, *jactantia* pro *jactatione*, *meritus* Superl., *praestigia* Sing (4,1,77) *sollicitus* Comp., *squalor* Plur., *super-*

1) Cfr. 8, 6, 64; 9, 2, 69; 10, 1, 23; 2, 10—12 et quæ att. Bonn. l. l.
2) Cfr. 3, 10, 4; 7, 1, 10, 11.
3) Cfr. Funcc. de imm. l. l. sen. cap. XI § 12.
4) Hoc apud inferioris demum ætatis scriptores invenitur.

vacuus pro *supervacaneo, umbraticus* pro *umbratili, validius, voluptuosus* pro *voluptario.*

Venio jam ad vocabula ex *Græco* sermone sumpta, quæ plurima Quintilianus usurpavit. Quæ magnam partem constant ex artis vocabulis suntque alia ei cum æqualibus alia cum inferiore ætate[1]) communia[2]), alia ab eo solo usurpata[3]).

Præterea sunt apud eum plurimæ Latinæ voces novæ, quæ etiam apud alios, qui illa ætate fuerint, solutæ orationis scriptores usurpata reperiantur. Habet igitur magnam vim *Substantivorum* maxime *mobilium,* quæ vocantur[4]), et in *tio*[5]), *as*[6]), *um*[7]), (*ium mentum* etc.), *us*[8]), *or, ura*[9]) desinentium.

Adjectiva nova reperiuntur in *ilis*[10]), *aris, alis*[11]), *is*[12]), *osus*[13]), *orius*[14]), exeuntia, et cum præp. *præ* composita[15]).

---

1) Ut *antidotus, cacozelia, ethologia, hyperbaton, lyricus, metrum, parabole, organum, periphrasis, phrasis, thema* cet.

2) *Epitheton* et alia ab *epi* incipientia, *metaplasmus, pentameter, psaltes, pyrrhichius, synecdoche* cet.

3) *Chironomia, crocodilina, encomium, homonymus, methodice, schematismus, syllogisticus, syntonus.*

4) Velut *admirator, affectator, auxiliator, delator, formator, insectator, jactator, litigator, plausor, professor* cet.

5) Velut *adjectio, affectatio, annotatio, assertio, computatio, contradictio, conversatio, dedignatio, directio, emancipatio, exsecutio, fictio, insectatio, modulatio, multiplicatio, nutatio, offensatio, positio, redditio, regressio, suspiratio, testatio, ultio, versificatio* cet.

6) V. *austeritas, civilitas, densitas, diversitas, enormitas, garrulitas, proximitas, pugnacitas, quantitas, rusticitas, sublimitas, vernilitas,* cet.

7) *Adjutorium, auditorium, crepitaculum, commilitium, homicidium, ministerium, rudimentum, suffugium,* cet.

8) *Derisus, occursus, profectus, secessus, tinnitus, vagitus,* cet.

9) *Acor, canor; caelatura, cinctura.*

10) *Agilis, durabilis, enarrabilis, favorabilis,* plurima cum præp. *in* composita, *navigabilis, venerabilis,* cet.

11) *Irrationalis, linearis, molaris, puellaris, pupillaris, specialis.* cet.

12) *Decennis, enormis, exervis, exanimis* cet.

13) *Articulosus, fabulosus, licentiosus, salebrosus, saxosus, spatiosus.* cet.

14) *Decretorius, literatorius, suasorius.*

15) *Praedulcis, praedurus, praelongus, praetenuis.*

Verba nova maxime primæ conjugationis[1]) sunt vel inchoativa[2]) vel alia cum præpositione aliqua composita[3]). *Adverbia* plurima terminationem *ter* habent[4]).

Apud Quintilianum aliosque ejus ætatis scriptores multa vocabula inveniuntur, quæ apud veteres vel raro vel vix nisi a poëtis usurpata sint. Quorum pauca afferre libet, ut *amoliri* (Plaut, Ter.), *asperare* (Varr.), *attollere* (Plaut, Ter.), *calcare* (Cat., Varr.), *clarescere* (Lucr.), *conviciari* (Varr.) *exspirare* (Lucil. Lucr.), *indiscretus* (Varr.), *labium* (Plaut, Ter.), *meare* (Lucr.), *malignus* (Plaut, Catull.), *malignitas* (Plaut.), *nubilus* (Plaut, Tib.), *perdurare* (Ter.), *pervicax* (Ter.), *resultare* (Lucr.), *rigor* (Lucr.), *rotare* (Lucr.), *siccare* (Lucr, Catull.), *subsultare* (Plaut.) *versificare* (Lucil.)

Atque quum multa eorum vocabulorum, quæ illa ætate in soluto sermone usitata reperimus, a poëtis inventa sint, tum videmus Quintilianum aliquas voces habere, quæ apud nullum alium solutæ orationis scriptorem, qui quidem illa ætate fuerit, inveniantur. Quorum plurima a poëtis illis, quos tulit ætas Augusti, sumpta sunt; nonnulla autem cum æqualibus poëtis sunt ei communia. Sunt hæc fere: *breviare, emutare, formose, hortatrix* (Stat.), *immutescere* (Stat.), *inconcessus, incredulus, indubitabilis, insonare* (Stat.), *intertextus, latrator, normalis, præformidatus* (Sil.), *præformare* (Sil.), *promissor, resuscitare, retendere, singultare, transformare.*

Jam vero ea verba percenseamus, quæ Quintiliano sunt cum inferioris ætatis scriptoribus communia. Talia sunt *abrupte, abusive, agnitor, altercator, appositio, ar-*

1) *Abnegare, annotare, corrotundare, curvare, densare, detonare, dissonare, enotare, exasperare, exuberare, exundare, flagellare, germinare, imputare, inspirare, obliquare, obumbrare, pandare, pensare, praecogitare, reluctari, transfigurare* cet.

2) *Crebrescere, expavescere, flavescere, inarescere, increscere, indurescere, insenescere, intabescere, intumescere, invalescere, madescere, pallescere, pavescere, vanescere* cet.

3) Ut aliqua cum *super* composita *supergredi, imponere, inducere, struere,* cet.; *sub. stringere, nectere, texere; prae-valere, sumere.*

4) *Deformiter, evidenter, efficaciter, favorabiliter, indecenter, indifferenter, instanter, peculiariter, potenter, specialiter* cet.

gumentosus, *attrectatio*, *circulatorius*, *circumductus (us)*, *circumlocutio*, *circumversio*, *conflictatio*, *connexio*, *consignatio* (Jur. Cons.), *constitutor*, *consultator* (J. C.), *contraponere*, *depositio* (J. C.), *effectivus*, *egressio*, *exheredatio* (J. C.), *exsucus*, *fatue*, *fideicommissum*, *finitivus*, *formularius*, *graciliter*, *hortativus*, *impossibilis*, *inartificialis*, *inerudite*, *invenuste*, *interlocutio*, *latitatio* (J. C.), *laudativus*, *legalis*, *lucrativus*, *minutio*, *navigator* (decl.) *neutralis*, *observabilis*, *operositas*, *participialis*, *pluralis*, *possessivus*, *possibilis*, *prælectio*, *præmovere*, *redhibitio*, *rixator*, *robuste*, *saltitare*, *sermocinatrix*, *stricte*, *suggestio*, *superjectio*, *supinitas*, *versificator*.

Restat, ut eas voces afferamus, quibus solus Quintilianus usus est. Quarum plurimas nisi semel non usurpavit et quidem haud paucas in Græcis vocabulis transferendis. Sunt hæ: *administrativus*, *allectatio*, *artificalis* — *ter*, *cavillatrix*, *circumductum* (= περίοδος) *citate* (Comp. Sup.), *clamose*, *coëxercitatus*, *concise*, *convinctio*, *disputatrix*, *emutatio* (8, 6, 51) *excusor*, *exercitatrix*, *exhortativus*, *illustramentum*, *inconsequentia*, *intersisto*, *inventiuncula*, *judicatrix*, *patrie*, *permollis*, *perpetualis*, *persuasibilis*, *pœnarius*, *præmodulatus*, *præmollire*, *pransorius*, *procursio*, *reptatio*, *scenice*, *seniliter*, *sensiculus*, *spectativus*, *subassentiens*, *transmutatio*, *transpositiva*, *transsumtiva*, *transsumtio*, *utrolibet*, *vocalitas*.

Neque solum in verbis deligendis Quintilianus aliquantum a veterum consuetudine recessit, sed sunt etiam apud eum verborum significationes et structuræ veteribus non usitatæ. Quorum plurimæ quum sint ei cum æqualibus communes, nonnullas tamen ejusmodi afferemus.

Abstinentia junct. cum Genit.; *accipere* j. cum dupl. Accus. (rarum apud veteres); *accingi ad alqd; acclamatio* in bonam partem; *acquirere* i. q. parare (etiam sine objecto); *actio* i. q. oratio habita; *adjicere* absol.; *adorare* transl.; *advocatus* i. q. patronus, — *tio* i. q. officium patroni; *affectus* (cfr. spald. ad 6; 2, 8) i. q. motus animi; *allegare* i. q. defendendi causa

afferre; *altus* transl. (altissima eruditio); *amare* ad res relat.; *ambitus, — tiosus, — se* de laudis studio; *anxietas* transl.; *anxius de re; asserere (sibi), assertor* sensu latiore; *assurgere* tr.; *auctor* i. q. scriptor; *cælestis* tr. (Cic. Phil. 5, 11, 28); *calcare* tr.; *cardo* tr. (Verg.); *celeber* absol. de hominibus; *clarescere* i. q. manifestum fieri; *coepisse* seq. Inf. Pass. (3, 1, 13, quem locum omisit Bonn. in lexico); *cogitare* s. Acc. cum Inf.; *collidere* tr.; *color* tr. in arte rhet.; *componere ad, in alqd* i. q. accommodare; *conferre ad, in rem, rei* i. q. prodesse; *confinis* tr. (Auct. ad Her.); *confiteri* i. q. *aperire; consistere* in re forensi; *coquere* tr. (poët.); *cultus* transl. in orat.; *cupiditas* i. q. avaritia (Cfr. Spald ad 5, 12, 6); *custodire* i. q. servare et conj. cum *ut, ne; damnare* i. q. improbare; *declamatio* meton.; *decor* in dicendo; *dedicare* tr.; *deducere* i. q. componere (poët.); *defunctus* i. q. mortuus; *deprehendere* i. q. cernere, in pass. forma i. q. hærere (Cfr. Spald. ad 1, 1, 30); *dictare* i. q. imperare; *digerere* de cibo; *durare* i. q. manere; *editio* libri in vulgus; *effectus* i. q. perfectus (Cfr. Gernh. ad 2, 13, 9); *evadere* s. Acc.; *excessus* i. q. digressio; *expositus* i. q. apertus, notus; *exhibere alqm* i. q. se præbere; *extundere* tr.; *facere (in, ad rem)* i. q. valere; *faces* i. q. stimuli; *fata* i. q. mors; *fingere* adj. *sibi; finire* absol.; *fortiter* seq. verbo i. q. audere (Sp. ad 1, 5, 72); *frons* i. q. aspectus; *frigus* tr.; *fungi fato; gaudere* de inanimis rebus (poët.); *generare* transl.; *habitus* tr.,[1]); *haustus* tr.; *historia* (sing.) i. q. narratio (1, 8, 20); *ignarus* ad res rel.; *ignominiosus* de hominibus; *immerito* prægr. neg. sæpe i. q. non sine causa; *implere* i. q. perficere; *incumbere,* sequ. Dat. (cfr. 9, 3, 1); *infelix (citas)* i. q. parum fructuosus (cfr. Wolff. ad 10, 1, 7); *ingenia* i. q. homines ingenio præditi; *inniti* tr.; *intelligere alqm* i. q. artem alcjs nosse (Zumpt in Suppl. ad 1, 2, 6); *inversus* i. q. pravus (poët.); *ire per alqd* i. q. persequi (poët.); *jaculari* tr.; *limen* tr.; *musculus* tr. (Hor.); *materia* i. q. argumentum (cfr. Krebs. s. v.);

1) Cfr. Cic. de Inv. 1, 24, 35 et Kritz. ad Sall. Iug. 28, 4.

mereri i. q. consequi (Sp. ad 4, 2, 39); *mille* tr. i. q. sexcenti; *mulcere* tr.; *nihildum* i. q. nondum quicquam; *notabilis* in malam partem; *numen* i. q. deus; *operire* i. q. celare; *opera* i. q. scripta (4, 1, 34; 10, 1, 89 cfr. Krebs. s. v.); *pars–aliqua* inter se relata (Bonn. ad 10, 1, 130); *pedester* tr. (Hor.); *penetralia* tr.; *persuasio* i. q. opinio; *permiscere* s. Dat. (Cic. *cum*, quod est 12, 8, 12); *quod pertinet ad* i. q. q. attinet ad (7, 1, 10); *plures* i. q. complures (Sp. ad 7, 3, 1); *præcipere artem* i. q. docere; *probatio* i. q. demonstratio; *in procinctu* tr; *in publicum* i. q. in commune; *ut puta* i. q. exempli causa; *radere* i. q. lædere (poët.); *rarus, qui* i. q. non multi; *recurrere ad alqd* i. q. confugere; *refragari* tr.; *relegare* (*in, ad alqd*) tr.; *renidere* tr. (poët.); *respectus* Abl. casu i. q. ratione habita; *respicere ad rem* i. q. spectare (Cic. *rem*); *scindere se* i. q. dividi (Pr. 13, quem locum omisit Bonn. in lexico); *scrupulosus* tr.; *secedere ad alqd.* tr.; *securus* de rebus; *sensus* pro sententia opp. verbis et de verborum certa comprehensione; *sensus communis* de studio decori; *sequens* i. q. proximus vel secundus (Sp. ad 1, 5, 23); *signare* i. q. significare; *situs* tr.; *spiritus* de vi ingenii; *studere, studiosus* absol. (Cfr. Cic. d. opt. gener. Or. 5, 13); *subire* i. q. in mentem incidere; *sublimis, — itas* tr., maxime in orat.; *subsistere* i. q. hærere; *successus* i. q. prosperus eventus; *summa* i. q. pecunia; *supinus* i. q. negligens (Catull. poët.); *surrepere rei* tr.; *tenere* i. q. observari (Spald. ad 2, 1, 1); *testis* lat. sens.; *toti* i. q. omnes (Plaut. cfr. Spald. ad 3, 9, 7); *transcurrere* tr.; *tumidus* tr.; *tumor* tr. in orat.; *vacat* i. q. otium est; *vacare* s. Dat. (Cic. de div. 1, 6, 10); *vena ingenii* (poët.); *viridis* tr.; *veneres* tr. (Plaut.); *vindicare sibi* (Liv. *ad se*); *viscera* tr. i. q. liberi (poët.).

Aliæ autem significationes verborum et structuræ vel apud Quintil. solum inveniuntur, vel ab inferioris ætatis scriptoribus sunt receptæ. Ejus generis sunt:

Aemulari in bonam part. s. Dat.; *alligare ad alqd* tr.; *articulosus* tr.; *audire* i. q. intelligere vel subaudire, ut loquuntur, *beatus* i. q. affluens, abundans; *cedere in rem*

vel rei i. q. subjectum esse (Sp. ad 3, 8, 53 et 5, 14, 6): *circumducere* in orat.; *citatus* tr. (Gell); *competere* in jure (J. C.); *complexus* in orat.; *congregatio* tr.; *cutis* tr. (Gell); *conjungere ad rem; densus, densare* tr. in orat.; *declamare* i. q. detonare (9, 4, 62 cfr. Spald et Gernh. ad h. l.); *dimensio* tr.; *dictio* i. q. declamatio vel i. q. phrasis (Gell); *durescere* tr.; *editio* i. q. liber editus (cfr. Krebs s. v.); *excidere* i. q. oblivisci; *exspatiari* tr.; *finis* i. q. definitio; *finire* i. q. definire; *flare* tr.; *foeditas* tr. (Vopisc.); *fugare alqm a re* tr.; *innatare* tr. in orat.; *institor* tr.; *insurgere* tr. in orat.; *intellectus* i. q. vis, notio; *lectio* i. q. quod legitur (cfr. Bonn. ad 10, 1, 45); *infinito magis* (cfr. Spald. ad 11, 3, 4); *labefactatio* tr.; *lascivia* tr. in orat.; *levitas* tr. in orat.; *libidinosus* tr. in orat.; *luxuriosus* tr. in orat.; *mobilitas* in b. part.; *miser* i. q. parum ingeniosus (Zumpt. in Suppl. ad 11, 2, 31); *nisus* tr.; *obequitare* tr.; *offensare* tr.; *organum* tr.; *paupertas* tr.; *pertendere* i. q. affirmare; *pinguedo* tr.; *præpinguis* tr.; *proprietas* verborum; *præstare* s. Dat. i. q. gratificari (Cfr. Gernh. et Sp. ad 2, 17, 2); *regerere in alqd* i. q. scribendo referre in (Vopisc. Prud.); *relatio* pr. sensu (10, 3, 31); *renunciare sibi* i. q. secum cogitare (12, 11, 10, ubi Spald.); *sequi alqm* i. q. contingere alci (Cfr. Bonn. ad 10, 2, 26); *squalor* tr. in or.; *subjacere rei* tr.; (Apul.); *succedere rei* i. q. subjectum esse (Sp. ad 3, 6, 71); *summa* i. q. perfectio; *superstitiose* tr. (Gell.); *traditio* i. q. institutio, disciplina; *translatio* i. q. interpretatio (Cfr. Krebs. s. v.); *turgescere* tr. in orat.; *utrinque* de partibus in foro (Cfr. Bonn. ad 10, 1, 130); *versicolor* tr.; *vindicare* i. q. obtinere (Gernh. ad 2, 17, 2); *voluntas* i. q. significatio.

Nonnullis denique vocabulis eam vim Quintilianus subjecit, ut rem quandam ad artem rhetoricam vel grammaticam pertinentem significarent. Talia sunt *amaritudo* (πικρότης), *circumductio*, *commentatio* (ἐνθύμημα), *concessio* (Cfr. 9, 2, 51), *consensio*, *cumulus*, *derivatio*, *ductus*, *facere*, (gramm.), *fictio*, *flexus*, *incrementum* (αὔξησις), *inversio* (allegoria), *nomen*, *particula* (rhet), *reversio* (ἀναστροφή) *tenor*, *tractus* (productio).

Restat, ut videamus, qualem in grammatica ratione consuetudinem Quintilianus sit secutus. Et quoniam de etymologica parte præclare atque copiose est a Bonnello disputatum, hunc locum relinquamus, nisi quod illud commemorare oportet, Quintilianum in vocabulis Græcis flectendis a veterum præcipueque Cæsaris consuetudine prorsus abhorrere[1]), quum in illis peregrinam fere declinandi rationem adhibuerit[2]).

Ad syntaxim igitur transeamus. In qua quæ annotanda sunt magnam partem illius ætatis fuerunt.

In *Subjecti* cum *Prædicato* conjunctione Qu. a veteribus fere non recessit. Excipi tamen potest locus 8, 3, 15, ubi per hyperbaton prædicatum ad prius subjectum accommodatum est, iique loci, ubi neutrum singulare adjectivi ad substant. alius generis paullo insolentius relatum est[3]). Præterea hic commemorandum videtur, nonnunquam verbum impersonale ad subjectum enunciationis, quæ ex illo pendeat, accommodatum[4]).

Dativum sæpe Quintilianus usurpavit, ubi veteres fere præpos. *ad* utuntur, ad finem, quo quid referatur, significandum, ut subj. voc. *accommodatus*, *comparatus*, *necessarius*, *satis*, *sufficere*, *utilis* sim.[5]). Sunt etiam loci, ubi Dativus in verbis res significantibus eodem fere modo adhibitus videatur atque in iis, quibus hominis notio subjecta est[6]). Ac reperitur Dativus passivis verbis pro ablat. ex *a* præp. pendenti subjectus et maxime quidem in Perfecto tempore; quanquam

---

1) Cfr. Inst. Or, 1, 5, 58—64.

2) Cfr. Bonn. in proleg. p. XXI—XXIX, cujus disputationi illud adjiciendum videtur, Quintilianum in iis vocabulis, quæ modo secundum primam modo sec. quintam declinationem flectuntur, illam prætulisse. Vide Freund. in Ann. Phil. a Jahnio editis XIII, p. 302.

3) Cfr. 7, 3, 3; 11, 1, 76. De pronominibus infra disseremus.

4) Cfr. 4, 2, 84; 5, 13, 19; 7, 2, 3; 11, 1, 48; et Kritz. ad Sall. Jug. 49.

5) Cfr. Pr. 10 *vir administrationi acomomodatus*, 10, 1, 28 *genus comparatum ostentationi*; 10, 1, 1; 5, 10, 65; 7, 4, 31; 12, 2, 13 Cfr. etiam 1, 1, 7; 1, 1, 25 *o'stat agnitioni earum* i. e. ne agnoscantur.

6) Cfr. Pr. 26; 2, 6, 3; 4, 1, 62, 64; 7, 10, 12; 10, 5, 8; 11, 1, 11; 3, 16. Cfr. etiam 3, 7, 16, ubi *cum materia deliberare* eadem ratione dictum est.

exstant, hujus rei exempla etiam in Præsenti [1]. Præterea Dativo Quint. usus est in verbis quibusdam cum præpositionibus compositis, quibus veteres illas subjecerunt, ut *accedere*, (Cic. *ad*), *impendere* (Cic. *in.*), *intendere* (Cic. *ad*), *inesse* (Cic. *in*) [2]. Vocabula aliqua cum *di* composita cum Dativo nonnunquam conjuncta sunt, ut *differre*, *dissentire*, *distare* (5, 10, 7), *diversus.* [3] Verbo *assuescere* subjectus est Dativus pro Ablativo, quo casu Cicero in illo uti solet [4]. Ex adjectivis illis, quæ et cum Genitivo et cum Dativo conjunguntur, apud Quint. *similis* sæpissime Dativum sibi subjectum habet [5], *dissimilis* semper, *proprius* Genitivum [6]. Adj. *proximus* præter Dativum est *a* præp. juncta, sive de loco sive de dignitate dictum est.

Ablativum loci sæpe Quint. posuit non adjecta præp. *in*, ut in voc. *principiis* [7], in formis grammaticis [8], ubi Adjectivum aut Genitivus Substantivo est adjunctus [9]. Ablativus *modi* insolentius præp. *cum* caret 2, 11, 3; præterea *persona* non raro cum Adj. vel pron. j. sine *in* reperitur. Abl. *causæ* nonnunquam solus positus est, ubi præp. *ex* adjungenda fuisse videtur, ut in verbis *apparere*, *patere*,

1) Cfr. 4, 5, 18. Locis 10, 7, 21 et 12, 1, 4 membrorum concinnitatis causa Dat. positus videtur.

2) Nec ab hoc usu discrepant j. cum Dat., *adversus*, *alienus* (=abhorrens), *figere* (*cruci*).

3) Quod cum Dativo junctum est fere i. q. *contrarius*, cum Abl. i. q. *discrepans* vel *alienus a*, ubi sæpe subjicitur adverbium ad vim augendam. Cfr. 4, 1, 9; 8, 3, 49.

4) *Consuescere*, quod apud Ciceronem absolute positum est, a Plinio min. cum Dat. junctum, apud Quint. *ad* Præp. sibi habet subjectam (2, 10, 8).

5) Est etiam Dativus in *vero similis* (2, 4,2), ubi Cicero semper genitivo usus est. Cfr. Has. ad Reis. scholas n. 550, Seyff. ad Læl. p. 482.

6) Iis enim locis. ubi vocabulo *proprius* Dat. adjunctus est, ille casus refertur ad prædicati notionem, ut 1, 1, 1 *nobis propria est mentis agitatio* etc. i. e. nos propriam habemus. Cfr. Cic. Ep. ad Fam. 2, 17 et Has. ad Reis. schol. n. 529.

7) Cfr. 4, 1, 34; 9, 4, 111; 11, 3, 92.

8) Cfr. 1, 7, 3 *nominativo casu*, 1, 6, 14, 26; 7, 17 cet.

9) Cfr. Bonn. in proleg. p. XLVIII et 1, 5, 20; 7, 22; 5, 12, 11 14, 35; 8, 6, 64; 11, 3, 53.

cognosci, *intelligi*, *trahere*[1]). Abl. *instrumenti* in homine usurpatus 3, 4, 2. Insolenter ablativus subjectus est verbis *appellare* et *committere.*[2]). Abl. *temporis* pro Accusativo est 3, 6, 63; 5, 13, 9; 12, 11, 15[3]). Abl. *comparationis* insolentiora exempla attulit Bonnellus 1, 2, 28; 3, 6, 70. Neque hic non commemorandum videtur, non raro cum Comparativis conjuncta inveniri neutra Adjectivorum in *um* desinentia pro Ablativo[4]). Nonnulla vocabula separandi solum Abl. habent, ut *liber* (arbitris locus 10, 3, 22), *remotus* (11, 1, 89), *procul* (dubio 1, 5, 14, cet.). Ablat. *absolutus* aliquot locis ita positus est, ut quod in enunciatione participiali pro subjecto sit etiam in primaria reperiatur ut 1, 1, 1; 3, 1; 8, 2, 2; 11, 1, 28[5]).

Genitivum partitivum Quint. multis locis insolentius subjecit neutris pronominum *id*, *idem*, *quid*, (idque etiam in participiis)[6]), adverbiis (*eo usque* 2, 1, 6), adjectivis[7]) quibusdam. Morem poëtarum secutus adj. *certus* et *securus* cum Gen. conjunxit[8]). *Plenus* vero, cui illa ætate fere Ablativus subjici solebat, in vocabulis singulari numero positis cum Genit., in plurali cum Ablativo est junctum[9]). Verbis *interest* et *refert* sæpe *Gen. rei* est subjectus[10]).

1) Cfr. 10, 7, 30; 1, 12, 9; 12, 10, 54; 10, 1, 7; 11, 3, 72; 5, 13, 3; 9, 4, 20 et Bonn. in Prol. p. XLVIII.

2) Cfr. 5, 13, 12; 7, 1, 9.

3) Cfr. Zumpt in suppl. ad 5, 13, 9, qui affert Sall. Jug. 54.

4) Cfr. Bonn. in lexico s. v. *paullus* a. b. c. et 10, 1, 94; 12, 6, 1, *(multum ante)* cet. Contra *multo*, *quanto aliud* exstat 10, 1, 41, 53.

5) Atque in duobus prioribus locis videtur Abl. ad temporis rationem diligentius definiendam adhibitus, in 8, 2, 2 per Abl. oppositio quædam effertur, in 11, 1, 28 Abl. ad Infinitivum proxime refertur. Cfr. Has. ad Reis. sch. n 490, 1, 4, 6. Ruddim. Inst. Gr. ed. Stallb. II, p. 302.

6) Cfr. 4, 2, 21; 10, 1, 105 et de Ciceronis usu Has. ad Reis. sch. n. 530.

7) Cfr. 1, 12, 16 *pulcherrima rerum*, 2, 16, 6, *praecipua siderum* 2, 20, 1; 4, 2, 89 *prima curarum*.

8) Cfr. 4, 3, 8; 8, 3, 51.

9) Exempl. quære in lexico B. s. v.

10) Vide 7, 2, 20; 9, 4, 44; 10, 1, 11 et cfr. quæ supra p. 20 n. 6 diximus.

In usu *præpositionum* Quint. nonnihil a veteribus discrepat. Quod primum in significationibus earum cernitur, si quidem usurpata est *a* pro *post* (10, 5, 17); *circa* pro *in*, *de* vel de tempore, etiam adjuncto nomine proprio (*circa Philippum floruit* 12, 10, 6); *citra* pro *sine; in* ad finem vel consilium significandum (*in hoc* sæpe, *aptus in alqd*, *studere in alqd* cet.[1]); *inter* pro *in (habere inter, inter paucos)*; *intra* pro *non ultra; per* pro Ablat. Instrum (*per quæ*, *per ea* cet cfr. Bonn. s. v.); *propter* adj. neutr. pron. (cfr. Bonn. s. v.); *sub* s. Abl., transl. (*sub pacto*, *nomine* cet.); *super* pro *præter* vel *ultra*; *ultra* de tempore (*ultra Socraten* 3, 1, 9). Adde quod ablativi *gratia*, quem veteres non ita sæpe ad causam rei significandam cum Genit. conjunxerunt, frequentissimus usus est[2]). Jam solis præpositionibus Qu. nomina inter se conjunxit nec modo in Substantivis verbalibus[3]), aut ita, ut præpos. et quod ex ea penderet nomen inter Adjectivum quoddam et Substantivum ponerentur[4]), sed etiam ut illa prægresso substantivo vel adjectivo responderent[5]). Atque quum ad duo vel plura membra pertinet præpositio, frequenter omissa est, ut in appositionibus[6]), in membris per *et — et*, *aut — aut*, *nec*, *non modo — sed (etiam)*, *idem — qui*, *quam*[7]) conjunctis, in anaphora, in asyndeto[8]).

Adjectiva Quint. frequentissime pro Substantivis usurpavit. Quod factum in neutro singulari in omnibus fere

---

1) *In honorem alcis rei*, quod Krebsius s. v. *in* improbat, reperitur 11, 2, 12. Cfr. Hor. Od. I, 7, 8. *In parte* pro *ex parte* frequens est.

2) Etiam præmissa Genitivo hæc vox invenitur, cfr. 8, Pr 18; 6, 2 cet.

3) Exempla vide ap. Bonn. in prol. p. XXXIV et cfr. 9, 1, 11, ubi duo Substantiva cum sua quodque præp. ex alio pendent et Broman. ad Liv. 2, 52, 7;

4) Cfr. 1, 1, 18; 10, 14; 11, 6.

5) Cfr. 2, 15, 12; 8, 5, 32; 12, 5, 5; cfr. etiam 8, 6, 11.

6) Cfr. 1, 4, 2; 3, 6, 86; 9, 4, 10; 10, 7, 26; 11, 3, 14.

7) Cfr. 11, 2, 21; 3, 156; 1, 11, 6; 1, 4, 4; 9, 3, 50; 11, 1, 45, 77.

8) Cfr. 11, 3, 170, 5, 10, 26; 7, 4, 23; 10, 2, 16; 11, 3, 116 cet.

casibus[1]), et sæpissime quidem prægressa præpositione quadam[2]). Præterea in neutro plurali etiam frequentius[3]). Atque hoc modo quum usurpantur Adjectiva, modo suos casus sibi subjectos habent[4]), modo cum Genitivo in morem Substant. conjuncta sunt[5]). Etiamque in masculino genere adjectiva substantivorum loco sunt, et pluraliter et singulariter posita[6]). Eandem in participiis rationem Quint. secutus est, ut ea præsentia, præterita, futura utroque numero et genere pro Substantivis usurparet[7]), sæpe tamen ita, ut iis suos casus vel adverbia quædam subjiceret[8]).

Contra Substantiva quoddammodo pro Adjectivis usurpavit, si quidem ea nonnunquam cum adverbiis conjunxit, ut Subst. in *tor* desinentia[9]). Ac per dicendi quandam brevitatem *non* cum Subst. junxit, ut esset *qui non est*[10]).

Sæpe Quintilianus positivum alicujus adjectivi vocabulo

---

1) Cfr. 1, 9, 3; 2, 4, 13; 16, 12 (*nullo*); 8, 6, 64 (*alio*); adj. pron. vel adjectivo alio 11, 1, 91; 12, 8, 2.

2) Sic *in totum*, *tantum*, *quantum*, *contrarium* cet., *ex abundanti*, *confesso*, *integro* cet. cfr. Bonn. ad 10, 1, 20.

3) Cfr. ex innumerabilibus exemplis 1, 8, 4; 2, 12, 8; 4, 1, 14; 7, 3, 25; exempla ex Ciceronis libris etiam in Gen., Dat., Abl. collegit Nægelsbachius Lat. Stil. § 25.

4) Cfr. 3, 8, 48; 5, 11, 44.

5) Sic reperitur Gen. Part. neutris adj. adjunctus 11, 3, 99; 12, 9, 8. Quod apud Cicer. non inveniri nisi in Ep. ad Fam. 1, 9, 5 et de Or. 2, 16, 69, apud Cæs. B. C. 3, 105, Krebsius docet. Quibus tamen locis addi possunt quum in neutr. plur. Verr. 1, 6, 15 de Divin. 1, 32, 68, tum in singulari. Cæs. B. G. 1, 10, Cic. de Div. 2, 43, 91, Læl. 4, 14; 10, 33, quibus omnibus locis *extremum* pro subst. est, et Cæs. B. G. 6, 26 *a summo capitis*; cfr. Nægelsb. l. l. § 23, 4 et Seyff. ad Læl. p. 73.

6) Cfr. 1, 1, 28; 4, 1, 14; 5, 13, 59 cet.; 1, 3, 1; 2, 3, 1; 11, 1, 43; cet.; adj. alio adject. 1, 1, 21; 1, 2, 4; 5, 10, 47 cet.

7) Maxime insignia exempla hæc sunt: *cum alio aliquo nocituro* (12, 8, 12), *quæsituris* (5, 10, 31), *dicendis* (2, 17, 35) *dicendorum* (10, 7, 16), *mire auditurum dicturi cura delectat* (11, 3, 157).

8) Cfr. *in non scripto* (3, 5, 4), *de accidentibus ei, quod* (3, 6, 36), *argumenta tractaturo* (5, 10, 15), *ab utraque exclusi* (10, 7, 29). De Ciceronis usu cfr. Nægelsb. l. l. § 28.

9) Cfr. 9, 3, 14; 10, 1, 88; 12, 1, 20.

10) Vide 2, 15, 17; 4, 1, 22 *(non orator)*; 4, 1, 73 cet.; cfr. etiam 2, 4, 15; 4, 5, 25.

magis auctum cum comparativo alterius copulavit[1]), præsertim si illius comparativus non satis usitatus erat aut ad evitandam eandem utriusque clausulam. Duo Comparativos per *non* ita inter se conjunxit, ut solent alii per *quam* 3, 8, 60. Præterea ad vim Adjectivorum augendam frequenter adhibuit vocabula *abunde* et *quamlibet*, etiamque *tam* et *tanto*, quum non sequeretur *ut*[2]), in Comparativis vero *longe*, *adhuc*[3]), *aliquatenus*. Contra *unus* cum Superl. junctum nisi uno loco non reperitur[4]).

In *pronominibus* demonstrativis et relativis ut sæpe attractionem generis numerique eamque insolentiorem[5]) Quint. adhibuit, ita tamen sunt loci, ubi neutrum pronominis pro subjecto positum reperiatur, quamvis substantivum alius generis sequatur[6]). Quid ? quod etiam iis locis, ubi pronomen ad certum quoddam vocabulum referri debuerit, neutralis forma ad totam rem designandam posita est[7]). Nonnullis locis demonstrativum ante relativum insolentius omissum est[8]).

Pron. *hic* et *ille* sæpe ita inter se opposita sunt, ut *ille* ad propius aliquid, *hic* ad remotius referatur.

Uterque plurali numero usurpatum est in singulis rebus[9]), *quisque* eodem numero cum Superlativo vel comparativo conjunctum etiam feminino genere[10]). *Quicunque*

---

1) Priorem locum fere comparativus tenet; cfr. Herbst. ad 10, 1, 44 et Bonn. in prol. p. XXXI.

2) Cfr. 1, 7, 29; 2, 4, 28.

3) Quod non semper præpositum est; cfr. Zumpt in Suppl. ad 2, 19, 2,

4) Cfr. Bonn. ad 10, 1, 59.

5) Cfr. 1, 5, 33; 5, 10, 20; 6, 2, 9; 9, 3, 92; 11, 3, 45.

6) Cfr. 5, 11, 3; 7, 8, 2; 8, 3, 16; 9, 3, 49; 11, 3, 43 et Bonn. in lex. s. v. *qui* e.

7) Cfr. 1, 3, 1; 5, 41; 3, 10, 4; 4, 2, 27; 5, 3, 1; 14, 1; 6, 2, 2, ubi Spald.

8) Cfr. 1, 7, 10; 11, 3, 68 et 3, 8, 59, ubi præpositio cum relat. conjuncta est; cfr. Has. ad Reis scholas n. 517, 575.

9) Cfr. 2, 19, 2; 5, 10, 43, 69; 6, 1, 11.

10) Cfr. 12, 10, 63 et vid. Has. ad Reis. schol. n. 362.

pro indefinito sæpe usurpatum, *quilibet* cum *uno* junctum frequenter est i. q. *unusquisque.*

Atque ut ad *Verba* jam veniamus, in usu temporum Quint. omnino ad veterum elegantiam accedere videtur. Quanquam in *Perfecto* poëtarum suæque ætatis morem ita secutus est, ut illud Aoristi modo usurparet ad repetitionem quandam et consuetudinem significandam[1]). *Imperfectum* de conatu rei agendæ est 10, 1, 120. *Futuri* singularis quidam usus est, si quidem Præsentis conjunctivi loco frequentissime positum est, non modo in primariis enunciatis, sed etiam in iis, quæ ex Infinitivo vel Conjunctivo apta sunt[2]). *Conjunctivum potentialem*, ut mos erat argenteæ ætati, Quint. sæpissime posuit, ut urbane ac modeste aliquid proponeret[3]). Sic et Præsenti[4]), et, quod frequentius est, Perfecto[5]) usus est, atque hoc etiam in iis enunciatis, quæ aliunde pendent[6]).

Conjunctivo hortativo et *præceptivo* insolenter *non* est subjectum[7]).

Præterea in secundariis quibusdam enunciatis modorum rationem ab antiquis traditam Quint. non servavit. Reperitur enim nonnunquam Conj. subjectus voc. *quanquam*[8]), *sive*[9]), *quantuscunque*[10]) *si modo*[11]). Contra cum *Indicativo*

1) Cfr. Bonn. in Prol. p. L sq. et Sp. ad 12, 9, 14.

2) Quum optime de hac re disputarit Bonn. in prol. p. LII sq., rem attigisse satis habeo. Neque tamen in Futuro vera præcipiendi vis inest, sed quod ea, quæ fieri debent, illo tempore usurpato certo futura dicuntur, fit, ut præcepti quædam similitudo exsistat.

3) Cfr. Zumpt. in Suppl. ad 10, 1, 18 et Jungclaussen, de Tac. serm. propr. p. 11.

4) Cfr. præter ex. a Bonn. allata 2, 16, 1; 6, 3, 25; 10, 1, 69; 105; 2, 28.

5) Cfr. Pr., 10, 15; 1, 1, 2; 10, 1, 2, 37, 46, 101, 107; 3, 22.

6) Sic *ut sic (non) dixerim* 2, 13, 9; 10, 1, 77; de Perf. in præceptis adhibito cfr. Bonn. p. LXII.

7) Cfr. 2, 1, 5; 7, 1, 56; 11, 3, 24, 142.

8) Cfr. 10, 1, 33; 2, 21, ubi vide Frotsch., 3, 6, 21; 4, 2, 32. Ab hoc tamen illud sejungendum est, quum Conj. potentialis post *quanquam* positus est, ut 2, 17, 12; 3, 7, 28; 12, 1, 22.

9) Cfr. 1, 6, 31; 9, 2, 69.

10) Cfr. 1, 2, 13.

11) Cfr. 10, 7, 15; *si tamen* cum Conj. est 6, 3, 14, 57.

sæpe juncta sunt *quamvis*[1]), *forsitan*[2]), *quum* (causale)[3]), *quum interim*[4]). In conj. *non quia — sed quia* usum modorum Quint. variavit. Exstat enim præter vulgarem usum non solum Ind. in priore membro[5]), sed etiam Conj. in posteriore[6]). Illud vero maxime notabile est, quod in enunciatis interjectis, quæ ex Infinitivo vel Conjunctivo pendent, Indicativus frequenter positus est[7]). Atque in relativis enunc. Ind. frequenter reperitur, ubi ex veterum ratione Conj. exspectes, ut prægr. negatione[8]), post *qui quidem*, *qui modo*[9]), *et qui*, *sed qui*[10]), *sunt qui*[11]).

In enunciationibus cóndicionalibus et relativis ratione tempora ejusdem aut diversi modi inter se conjungendi maxime varia Quint. usus est. Retulit enim inter se, ut de primariis temporibus primum loquar, bina Fut. simpl.[12]), Fut. exactum (in secund. enunc) et simpl.[12]) et contra[13]), bina Fut. exacta[12]), bina Præs. Ind., Præs. Ind. et Fut. Simplex[14]) et contra[15]), Fut. exact. et Præs. Ind.[12]), Perf. Ind. et Fut. Simpl.[16]), bina Præs. Conj., Præs. Conj. et Fut. Simpl.[17]), Fut. exact. et Pr. Conj.[18]), Pr. Conj et Ind.[19]).

---

1) Cfr. 8, 6, 73; ceteris locis fere Conj. regit, ut etiam *quamlibet*.
2) Cfr. 10, 2, 10; 11, 2, 24.
3) Cfr. 1, 6, 2; 10, 3, 26 et Bonn. ad h. l.
4) Cfr. 10, 1, 111; 1, 18 ad quem locum vide Zumpt. in Suppl.
5) Cfr. 2, 4, 31; 17, 9.
6) Cfr. 6, 3, 18; 7, 3, 9; 12, 11, 16.
7) Cfr. Zumpt. in Suppl. ad 10, 1, 18 et Bonn. p. LX. Pauca tamen exempla afferemus: 2, 10, 6; 9, 2, 87; 10, 4, 1, 3; 11, 1, 81; 12, 1, 35.
8) Cfr. Pr. 5; 1, 11, 11; 6, 3, 46; 9, 4, 10.
9) Cfr. 3, 3, 1; 6, 2, 25; 11, 3, 2; 12, 10, 3, 69.
10) Cfr. 1, 10, 17; 2, 15, 37; 5, 8, 3; 6, 3, 8; 7, 2, 1, 10, 1, 95.
11) Cfr. 4, 3, 16; 11, 3, 55. De relat. enunc. pro quæst. indir. adhibitis cfr. Bonn. p. LXXI.
12) Ex. vid. ap. Bonn. p. LVI sqq.
13) Cfr. 1, 1, 11; 5, 49; 7, 10, 6.
14) Cfr. 5, 13, 56; 6, 4, 13; 9, 4, 60.
15) Cfr. 2, 4, 15; 5, 13, 15.
16) Cfr. 1, 4, 5.
17) Hoc admodum frequens est; cfr. 2, 5, 23; 19, 2; 5, 10, 91; 6, 3, 17; 10, 1, 116; quæ exempla Bonn. attulit, ea alius generis sunt.
18) Cfr. 2, 4, 5; 9, 2, 30; 12, 3, 6.
19) Hoc longe frequentissimum est, maximeque reperitur, ubi in apodosi est vel gerundivum vel verbum *esse* cum Adj. quodam, vel *posse*, *debere*. Cfr. 1, 12, 5; 2, 10, 10; 4, 1, 34; 6, 3, 23; 4, 20; 9, 2, 72; 4, 70; 10, 5, 19; 12, 6, 5; 11, 29.

Quod ad historica, quæ vocantur, tempora attinet, reperias non solum Imperf. Indic. in apodosi, ubi in protasi sit Imp. Conj.[1]), sed etiam Plusquamp. Indic. ad Imp. vel Plusq. Conj. relatum[2]). Quid? quod sunt loci, ubi Imp. vel Plqf. Conj. ita positum sit, ut quo referatur, non habeat. Qui horum temporum usus ita explicandus videtur, ut ad condicionem quandam, quæ verborum ratione parum expressa cogitatione supplenda sit, relata credantur[3]).

In consecutione temporum multis locis Quint. a Ciceronis consuetudine recessit. Quum enim Cicero ea ratione secundariam enunciationem primariæ subjicere solitus esset, ut tempus verbi conjunctivi ad tempus actionis, quæ in primaria significaretur, referret, Quint. sæpe vel ad suum vel ad omne tempus secundariæ verbum retulit. Quo factum, ut Præsenti et Perfecto frequenter usus sit, ubi ex altera ratione tempus historicum fuerit ponendum[4]). Neque tamen nunquam veterum morem secutus est[5]).

In *Infinitivi* usu Quint. plurima a veteribus diversa habet; quæ tamen omnino ad similitudinem eorum, quæ antea usitata fuissent, videntur accommodata. Multis igitur verbis Infinitivum subjecit, quæ apud antiquos aut Acc. cum Inf. aut Infinit. apposito objecto personæ sibi conjunctum habeant, qualia sunt *prohibere*[6]), *vetare*, *jubere*, *cogere*. Tum Infinitivum vel Acc. cum Inf. in multis verbis pro

---

1) Ut in præsenti, quod modo vidimus, ita hic talis usus frequentissimus est in verbis *esse* cum Adj., *posse*, *licere* cet., in quibus etiam a Cicerone hoc usurpatum est. Cfr. 1, 4, 22; 5, 18; 6, 3, 16; 11, 2, 33.

2) Cfr. 6, 2, 25; 8, 4, 4, 5. Præclare de hac re disputavit Jungclaussen l. l. p. 9 sq.

3) Cfr. 1, 1, 22; 6, 1, 44; 2, 3; 7, 2, 22; 8, Pr., 24; 10, 1, 111; 11, 1, 66; 9, 2, 83 (*quod ego sequerer*, sc. si mihi in tali causa dicendum esset).

4) Etiam ubi *ne* vel *ut* ad consilium signif. adhibitum est, hoc factum; cfr. 4, 2, 107, 128; cfr. præterea ex. a Bonn. p. LVII sq. allata, quibus adde Pr., 6; 1, 7, 1; 3, 6, 20; 8, 2, 22; 3, 90; 11, 1, 48; 3, 68; 12, 9, 1.

5) Cfr. præter Bonn. p. LIX 2, 10, 2; 5, 14, 2; 11, 1, 59.

6) Quo in verbo propter grammaticos commemorandum est, raro id apud optimos scriptores cum *ne* aut *quominus* junctum.

enunciatione conjunctionali substituit, ut in v. *permittere* (Inf. etiam seq. Dat. pers.), *concedere* (Inf.)[1]), *dubitare* (acc. cum Inf. etiam in affirm. enunc.), *suadere*[2]), (Inf. etiam s. Dat.), *dissuadere* (Inf.). Præterea Infin. liberius subjecit verbis *affectare*, *desiderare*, *discere*, *elaborare*, *fastidire*, *festinare*, *gaudere*, *indignari*, *mereri*[3]) *mittere*, *periclitari*, *scire*, *tendere*, *tentare*, et Adj. *dignus*, *contentus*, quum sæpe etiam Nominativum pro prædicato adjungeret[4]). Et verbis quibusdam impersonaliter usurpatis Infin. insolentius subjecit. Ejusmodi sunt *contingit*, *datur*, *accidit* (3, 6, 56), *delectat*, *excidit*, *vacat*. Atque Infinitivo ex tali verbo pendenti etiam prædicatum Dativo casu adjunxit[5]). Adjectivis quibusdam cum verbo *esse* conjunctis Infinitivus subjectus est, ut *primum est*, *proximum est* (Cic. *ut*), *promptum est*, *expeditum est*, *naturale est* (Inf et *ut*). *Perf. Infin.*, quocum illa ætate jungi solebant voc. *prodest*, *poenitet*, *satis est*, *contentus*, cet., apud Quint. non fere sæpius quam præsens his subjectum est[6]). Atque etiam *in nominativo cum Inf.*, qui dicitur, usurpando varius Qu. fuit. Ut enim ad similitudinem structuræ in verbis *dicor*, *credor* cet. adhibitæ multa alia accommodavit, ut *negor*, *ponor* (1, 10, 33), *ostendor*, (3, 6, 12) *deprehendor* (1, 6, 7) *fingor*[7]), tamen in illis ipsis sæpe Acc. cum Inf. usurpavit[8]). Nonnunquam Infin. appositus est prægresso Substantivo vel pronomini, ubi exspectes *ut* vel gerund.[9]).

1) Apud Cic. *concessum est* Inf. regit.

2) *Suadere* cum Inf. conj. apud Quint. videtur significare *optimum esse dicere*, si quidem in communibus præceptis maxime adhibitum est.

3) *Mereri* et *dignus* etiam cum *ut* et *qui* juncta sunt.

4) Cfr. Bonn. p. LXIII et 12, 9, 10.

5) Cfr. 3, 6, 56; 11, 1, 56; contra 12, 7, 7.

6) Hoc loco afferre libet *memini* semper cum Perf. Inf. conjunctum. Insignis vero est locus, 8, 3, 31 *(memini juvenis tractatum esse)*; cfr. Cic. de Sen. c. 9 et Sp. ad l. all. Quint.

7) Cfr. Bonn. p. LXIV. *Videri* etiam cum Fut. Inf. Pass. sic conjungitur 9, 2, 88. *Dictus*, *creditus* 10, 1, 112, 125.

8) Cfr. Bonn. p. LXVI. In *videri* utramque structuram confudit 10, 2, 18. Quod verbum sæpe cum Fut. Part. Pass. junctum; v. Bonn. ad 10, 1, 46.

9) Cfr. 1, 2, 31; 6, 44, 5, 7, 32; et quæ cetera attulit Bonn. p. LXIII.

Gerundii cum Accusativo casu insolentius conjuncti nonnulla exempla inveniuntur[1]). Usus *Dativi* Ger. latius patet quam apud veteres, ubi nisi certis quibusdam verbis subjectus vix reperitur[2]). Idem cernere licet in Ablativo, qui et pro modali usurpatus[3]), et præp. *cum* subjectus[4]) et vi quadam respiciendi non adj. præp. *in* positus est[5]).

Participiorum usus quum omnino apud argenteæ ætatis scriptores, tum apud Quint., qui præsertim sit brevitatis maxime studiosus[6]), latissime patet. Est igitur apud eum sæpissime finitæ enunciationis loco Partic., et maxime quidem Futuri Activi. Quod sæpe ad res, quales natura sint comparatæ, describendas adhibuit[7]). Estque etiam ad finem et consilium designandum positum[8]), et nonnunquam significat, quid certa condicione eventurum sit vel fuerit, sive illa non est verbis expressa sive enunciatione condicionali continetur[9]). Reperias etiam Participia et Adjectiva juncta cum part. *quanquam*, *etiamsi*, *velut*, *tanquam*[10]). Neque minus frequenter pro relativis, condicionalibus, ceteris enunciatis participia (et adj.) usurpata reperiuntur[11]).

In *Adverbiorum* usu Quint. pæne totus suæ ætatis est. Sic apud eum *adhuc* est etiam in præterito tempore ad-

---

1) Cfr. 1, 7, 7; 2, 2, 7 et 4, 5, 17 *ut omnia credat audendum*, quod nonnulli ad Gerundivum trahunt. Sed vide quæ de hac re disputavit Genberg, De Ger. et Supin. Lat. Ling. comm. Lund. 1841 p. 35 sq.

2) Cfr. 8, 6, 19; 11, 1, 6; 2, 35; 12, 11, 23.

3) Cfr. 6, 4, 2; 9, 4, 112 et Nægelsb. § 31.

4) Cfr. 1, 5, 1; 11, 3, 42.

5) Cfr. 8, 3, 14; 12, 2, 13; 10, 9, 44.

6) Quantum brevitati adhibendo Part. consulatur, potest esse exemplo locus Quint. 7, 4, 8 *spes innocenter victuri* i. e. fore, cet.

7) Cfr. 1, 1, 35; 8, 4; 12, 17; 2, 4, 33; 3, 1, 2; 7, 3, 14.

8) Cfr. 10, 3, 6; 11, 1, 58.

9) Cfr. 1, 12, 18; 7, 1, 45; 10, 7, 2; 11, 1, 74; 2, 16; 12, 10, 73. Cfr. præterea de usu hujus Part. Bonn. p. LXVIII.

10) Cfr. 7, Pr., 2; Pr., 4; 5, 13, 28; 9, 2, 86.

11) Cfr 2, 18, 1; 20, 8; 3, 3, 7; 4, 1, 71; 7, 1, 43; 8, 3, 11; 9, 2, 14; 11, 3, 128; 12, 3, 1. Cfr. etiam *praedictus* 8, 6, 52; 10, 1, 74, *supra dictus* 12, 10, 7.

hibitum, *adeo* vi conclusiva[1]; *alioqui* tum i. q. *omnino*[2]) est, tum i. q. *quod ni ita est,* tum in apodosi sententiæ condicionalis reperitur; *deinde* i. e q. *nihilominus, εἶτα*[3]), *demum* i. q. *tantum*[4]), *duntaxat* est pro saltem (3, 8, 10), *denique* in posteriore duorum membrorum[5]) (5, 10, 42), *ideoque* frequentissime in concludendo; *interim* i. e. q. *interdum,* et repetitum i. q. *modo — modo,* et concedendi quadam vi positum[6]), *nempe* reper. seq. *enim, proinde* nulla adhortandi vi in concludendo[7]), *porro* in oppositione[8]), *præter id quod* i. e. q. *præterquam quod*[9]); *quoque* frequentissimum est etiamque iis locis adhibitum, ubi aliquid augendum est[10]); *sane* et *sine dubio* sunt pro *quidem; utique* quum vi affirmandi asseverandique sæpe usurpatum est[11]), tum ad consequentiam significandam[12]).

In *negationibus* offendunt, quod pro conj. *ne — quidem* Qu. et *nec* posuit et *saltem* cum negat. junct.[13]), et adv. *etiam* vel *quoque* in enunc. negativa usus est[14]). *Nedum* ita usurpavit, ut *multo potius* significare videatur[15]). *Non* sæpe est, ubi *ne* ponendum fuit, ut post *dum, modo, utinam*[16]).

---

1) Cfr. Brom. ad Liv. 2, 27, 3.

2) Cfr. Herbst. ad 10, 3, 13.

3) Cfr. Gesn. ad 8, 6, 32.

4) Sic *ita demum, si,* de quo vide Herbst. ad 10, 7, 12.

5) Vide præterea Bonn. s. v.

6) Cfr. 1, 5, 29; 3, 8, 44.

7) Cfr. Bonn. s. v.

8) Cfr. Gernh. ad 2, 3, 5 et Seyff. Schol. Lat. I, p. 39.

9) Cfr. Herbst. ad 10, 1, 28. Sunt etiam inter se relata *praeter id quod — tum,* cfr. Spald. ad 4, 1, 66.

10) Sic sæpe posita sunt *et — et quoque;* cfr. Herbst. ad 10, 1, 115.

11) Sic frequenter *utique si.*

12) Sic etiam *protinus.* Cicero in hac re utitur adv. *continuo.*

13) Cfr. Bonn. ad 10, 2, 15.

14) Cfr. 2, 5, 1; 7, 4, 7; 10, 1, 40; 2, 23. Quibus tamen locis *non* cum verbo in unam quasi notionem eamque affirmativam videtur coaluisse; Cfr. Weiss. ad Liv. 1, 56, 8.

15) Cfr. Madv. Lat. Sprachl. § 461 et 12, 1, 39.

16) Cfr. Bonn. ad 10, 3, 7 et 9, 4, 58.

Neque vero illud non memorabile videtur, quod adv. *haud* nisi uno loco[1]) non reperitur.

In *copulandis* inter se verbis enunciatisve nonnunquam usurpata sunt adverbia, quæ vim adjiciendi habent, ut *simul*, *præterea*, *quoque*[2]); *et* sæpissime est pro *etiam*, id quod apud ipsum Ciceronem reperitur[3]). Est quibusdam locis non satis apta copulatio, quum in aliis membris conjunctiones positæ sunt, in aliis non item[4]). In membris per *nec* — *nec* conjunctis sæpe Quint. *contra* vel *tamen* posteriori adjunxit[5]). Partic. *nec non* conjunctas fere pro conj. *et* usurpavit, id quod a veteribus non factum[6]). Conj. copul. etiam prægressa *ne* reperiuntur[7]).

Disjunctivæ aut et *vel* nonnunquam inter se relatæ sunt[8]). *Vel* nonnullis locis posita est ad contraria membra disjungenda[9]). Quid ? quod *aut* — *aut* pæne pro *et* — *et* positæ exstant (3, 5, 1)[10]).

Loquendi illæ formulæ *non modo* — *sed etiam* ita variatæ sunt, ut sæpe reperiatur *quoque* in posteriore membro atque etiam *demum* in priore (9, 2, 105)[11]). Ac sunt loci, ubi *sed quoque*, *(etiam*, *ne* — *quidem)* ita posita sint,

---

1) 10, 3, 26.

2) Cfr. 10, 1, 62 *(Simul* — *que)*; Pr., 3; 1, 1, 12; 3, 11, 28; 3, 1, 1; 9, 2, 86; 10, 5, 19; etiamque 5, 10, 24—27.

3) Cfr. Hand. Turs. II. p. 499.

4) Cfr. 7, Pr., 3; 8, 3, 8; 9, 4, 116; 11, 1, 21. Asyndeton inter duo membra est 7, 4, 27; 8, 4, 7; 11, 2, 19, 21.

5) Cfr. Bonn. ad 10, 2, 22.

6) Cfr. Bonn. in lex. et 9, 4, 25.

7) Cfr. 3, 8, 70; 12, 11, 9.

8) Cfr. 3, 6, 72; 8, 6, 68—9; 9, 2, 18.

9) Cfr. 3, 7, 22; 4, 2, 52; 10, 4, 1.

10) Cfr. Weber. Uebungssch. 3:e aufl. p. 536. Nescio tamen, an Quint. hic id spectaverit, ut, quum duplex orationis natura esset, materia et forma, quo utraque contineretur, indicaret, tum separata in unum conjungeret add. *id est rebus et verbis* cfr. 8, 3, 15.

11) Dirimi sæpe partic. *non* — *modo* et *sed* — *etiam* interposito uno pluribusve verbis annot. Herbstius ad 10, 1, 10.

ut ad membrum aliquod, quod mente supplendum sit, referenda videantur[1]).

In *comparando* usus conj. *quam* late patet. Relata enim est illa ad voc. *alius* (etiamsi nulla negatio præcesserit), *æque*, *contrarius*, *diversus*, *duplex*[2]). *Idem* non solum ad conj. *et*, *ac*, et Pron. *qui* relat., sed etiam cum Dativo conjunctum[3]). *Quo* nonnunquam excipitur pron. *hoc*, adv. *adhuc*, *etiam*, solo comparativo[4]). Partic. *ut* — *ita* frequenter vi concessiva sunt usurpatæ, id quod quum Ciceroni tum præcipue Livio usitatum est[5]). *Tam* — *quam* aliquot locis fere idem videtur esse ac *non solum* — *sed etiam*[6]). *Velut* sæpissime est pro eo, quod est *quasi*[7]). *Ut* crebro cum pron. relativo et *cum* causali conjunctum, ubi veteres fere *quippe* usurpabant[8]).

Causali vi more poëtarum posita reperiuntur *quatenus* et *quando*, subjecto Indic.[9]).

Dum non solum eadem vi ac *dum modo* usurpatum, sed etiam prægnanti quadam significatione, ut sit fere *dum concedatur*[10]).

In interrogationibus illa attendenda, quod conj. *an* frequentissime pro *num* posita est, *utrumne* pro *utrum*[11]),

1) Cfr. 1, 4, 27; 2, 14, 2; 17, 34; 4, 2, 82; 6, 3, 42; 7, 2, 20; 9, 4, 76.

2) Ex. quære ap. B. s. v.; frequens est comp. formula *non aliter quam*.

3) Neque tamen exstat apud Quint. *idem cum;* qua in re fallitur Reisigius § 235.

4) Cfr. 8, 5, 20; 2, 3, 9; 3, 7, 13.

5) Cfr. Seyff. ad Læl. p. 78. In posteriore membro comparationis haud raro reperitur *quoque*, ubi veteres *etiam* vel *item* aliquando adhibuerunt.

6) Cfr. 2, 3, 12; 4, 38; 8, 2, 8; 3, 15.

7) Cfr. Herbst. et Bonn. ad 10, 1, 5.

8) Cfr. Weiss. ad Liv. 1, 49, 3.

9) Cfr. Ruddim. Inst. Gr. II. p. 353.

10) Poëtarum hoc esse videtur. Cfr. Spald. ad 1, 12, 17 et O. Jahn. ad Pers. Sat. 4, 21.

11) Cfr. Reis. l. l. § 277.

quidni non prægressa interrogatione reperitur[1]. Quid? quod conj. *si* in interrogatione usurpata est[2]. Locutioni illi *nescio an* (*dubito an*), qua veteres aliquid modeste affirmare solebant, Quint. et sæpe dubitandi quandam vel negandi vim subjecit et nonnunquam eam ad affirmandum adhibuit, ita tamen ut ex sententiæ ratione hæc ejus vis esset manifesta[3].

Restat, ut transitionis quasdam formulas afferamus, quæ quum a veteribus vix sint usurpatæ, apud Quint. inveniuntur, *adde quod, ad hoc, ante omnia* (i. q. ac primum) *cum eo quod* (i. q. accedit, quod)[4], *hoc amplius,*[5], *primum omnium, propter quod* (*quæ*), *super omnia*.

---

1) 2, 5, 25.

2) Cfr. 7, 1, 25; 2, 4 (*si* — *an*).

3) Reperitur enim affirmandi sensu maxime adjuncto superlativo vel comparativo; contra, ubi negandi vim habet, conjuncta est fere cum voc. *ullus*, *unquam* simil. Cfr. Buttm. ad 12, 10, 2.

4) Cfr. 2, 4, 30; 10, 7, 13; 12, 10, 47. Est hoc apud Cicer. in Ep. ad Att. 6, 1, 7, ubi significat *hac condicione;* cfr. Herbst. ad 10, 7, 13.

5) Cfr. Spald. ad 1, 5, 50,